



14

ΣΥΝ ΤΩ ΘΕΩ
THEMATUM
Practicorum
Senarius

In
Incllyta Academia WITTEBERGENSI,
PRÆSIDE

M. WILHELMO ZESCHIO,
Beverstedâ - Brem.

Facult. Phil. Jen. Adj.

RESPONDENTE
FRANCISCO BORSKIO,
Dantisc. Boruffo,

publico συµφιλοσοφῶντων examini
subjectus

Ad d. II. Octobr. ANNO M DC LXI.
Horis antemer.



WITTEBERGÆ,
Typis MICHAELIS Wendt.

53.



THE MAMMAM
PRACTICOTUM

M. WILHELMUS BOESCHIO



FRANCISCO BOESCHIO



I. N. 7.

THEMATUM

Practicorum

I.

In actibus propriè moralibus ac civilibus semper ac necessariò adest agentis libertas aut præsupponitur, (a) tametsi hæc nunquam formalem *n'* esse *moralis* rationem ingrediatur.

§. I. Equidem (a) actus verè moralis esse haud posset, nisi ratio liberi ac voluntarii in eo præsupponeretur; ut adeò libertas & voluntarium in ordine ad *esse morale* sese habeat per modum alicujus fundamenti.

§. II. Quando itaq; *Thomas* & alii Philosophi *actum liberum* dicunt esse *moralem*, non loquuntur in *sensu formali*, quasi actum liberum & *moralem* formaliter unum & idem esse doceant; sed in *sensu causali*; quòd videlicet libertas ad *esse moris* præsupponatur, hocq; ex illà, ceu fundamento eòq; inad-

A 2

æquato,



æquato, ac partiali velut radice, progerminet. Quò sensu & nos actum liberum, moralem esse largimur, putà causaliter ac fundamentaliter, non autem formaliter.

§. III. Quapropter nimis absurda, quid? extremè impia est doctrina istorum *Calvinianorum*, quâ, licet non ἀντιῆς λέξεις, reipsâ tamen, ex inferis velut revocatâ necessitate stoicâ, omnem voluntatis humanæ in actionibus moralibus & civilibus libertatem negant, omnia scil. impulsui adscribentes DEI occulto; ab ejusq; absoluto decreto & necessario quodam raptu actiones humanas provenire contendentes.

I I.

Bonitas moralis est conformitas seu consonantia actûs humani cum regulâ rectitudinis.

§. I. Traditur hîc *essentialis* definitio hujus bonitatis, quòd si & *causalem* desideres, en tibi hanc, quam arbitramur optimam, quâ *bonitas moralis* finitur *integritas vel aggregatio omnium eorum, quæ actui non absolutè ex naturâ actûs, sed secundum rectam rationem conveniunt.* Ita eam explicat *Scotus in 2. sent. dist. 40. q. 1. pag. m. 129.* ab inductione causarum honestatis, quas dicit esse omnia ea, quæ recta ratio actui convenire dicitur; ut determinatum objectum, modus determinatus & aliæ circumstantiæ, quæ alibi exponuntur fusiùs.

§. II. Neq; enim completa bonitas (ut statim *subjungit ibid.*) est ex solo fine; Sed *prima* ratio bonitatis ejus est ex convenientiâ actûs ad efficiens, à quo

quo actus dicitur moralis, quia liberè elicitus. *Secunda* conditio est ex objecto convenienti; *post* illud prima circumstantia est primus finis; nec ista sufficit sine aliis circumstantiis. Unde *Thomas* 1. 2. q. 18. a. 1. in eandem sententiam, actus bonitatem definit plenitudinem essendi actui debitam, h. e. convenientem ipsi secundum rectam rationem aut in genere moris; etenim per plenitudinem essendi ipsius actus nihil aliud intelligit *Thomas*, quam integritatem istam & aggregationem omnium, actui secundum rectam rationem convenientium, quam loc. cit. inculcat *Scotus*.

§. III. Quocircà ad veram ac perfectam bonitatem moralem alicujus actus non una vel altera sufficit ex recensitis bonitatis causis, sed necessario illarum omnium requiritur concursus; ut ita bonitas objecti, rectitudo finis ac convenientia mediorum, cæterarumq; circumstantiarum cum recta ratione, collectim sumpta, constituent integram bonitatis moralis causam; usq; adeò, ut vel horum unico deficiente, pereat insimul istius causæ integritas, & ipsa, quam diximus, vera moralis actus honestas; *Bonum* namq; est ex (NB.) integrâ causâ, *malum* autem ex quovis defectu, docente *Dionysio Areopagita* libr. de divinis nominibus cap. 4. prout ex eo referunt *Thomas* 1. 2. q. 16. a. 4. & 2. 2. q. 110. ad 3. *Scotus* quodlibeto 18. art. 1. pag. m. 46. item in 2. dist. 7. q. unic. p. m. 54. & dist. 40. q. unic. p. 129. Ubi etiam hujus dicti veritatem declarat simili: *Sicut in corpore, inquit, pulchritudo est ex aggregatione omnium convenientium illi corpori & inter se, puta quantitatis, coloris, & figuræ, sicut vult Augustinus* 8. de Trin. 4. bona facies hominis dimensa

pariliter & affecta hilariter & luculenter colorata &c. ita
bonitas in actu.

§. IV. Hinc trita hæc, quæ putantur vulgò axio-
mata: *qualis finis, talis actio*; Seu, ut Boëtius (cit.
Thom. 1. 2. q. 18. a. 4.) in topicis: *Cujus finis bonus est;*
ipsum quoq; bonum est. Actiones suis finibus judicanda
sunt & æstimandæ: Cùm finis est bonus, media quoq;
bona sunt: Cùm malus est finis, media etiam mala: cause
impulsivæ & finales discrimina actionum faciunt; Si abso-
lutè & universim accipiantur, pro probandâ actionis
bonitate ex bonitate solius finis seu rectitudine in-
tentionis, falsa sunt; quandoquidem actûs bonitas,
ut jam tum ostensum, est ex integrâ causâ. E. non
ex solo fine aut nudâ operantis intentione, quippe
partiali duntaxat bonitatis causâ. Unde si actio ex
objecto suo intrinsecè ac essentialiter vitiosa sit,
non potest per finem extrinsecum, licet vel maximè
bonum, immutari & moraliter bona constitui; id
quod optimè inculcat Augustinus libr. de mendacio
cap. 7. Quedam actiones, inquit, ita male sunt, ut
nunquam possint esse bonæ, etiamsi bonam videantur habe-
re causam: interest quidem plurimùm, quâ causâ,
quâ intentione, quò fine quid fiat, sed ea, quæ con-
stat esse peccata, nullo bonæ causæ obtentu, nullo-
que bono fine, nullâ veluti bonâ intentione sunt
facienda.

§. V. Mira itaq; hoc loco notanda venit cùm
Pontificiorum, tum Calvinistarum subtilitas in conve-
niente admodum (si Diis placet!) horum dictorio-
rum ad incrustandas heterodoxias suas applicatione.
Illi namq; ex lubrico hoc fundamento vanas suas
idolotheias stabilitum eunt & electitios suos cultus
bonos

bonos proclamare non dubitant, quia scilicet bono fine ac intentione piâ & honestâ ab ipsis suscipiantur; & quod magis adhuc admirandum venit, ipsi Jesuitæ, tametsi aliàs in hisce talibus soleant cæteris suis esse perspicaciores, nihilo tamen secius, ex cæco Thaidis Babylonicæ amore, hõc admodum ficulneo non verentur uti præsidio adversus orthodoxam de fide justificante doctrinam; ita enim in *Censura sua de præcipuis doctrina cælestis capitibus*, Colonia antehac editâ, fol. 75. (cit. B. Chemnitio Theolog. Jesuit. cap. 7. n. 10. pag. m. 19.) *Fidei tribuitur justificatio, inquit, non ideò, quia apprehendit Christum cum omnibus suis meritis: sed quia demonstrat, quisnam sit autor in nobis bonorum omnium, & quia dirigit actiones omnes in debitum finem: siquidem Philosophorum vulgatum (ac Jesuiticâ hæc subtilitate perdignum) axioma est; si finis bonus est, (NB.) universam quoq; actionem bonam esse.* Hæc illi; quod si firmum esset, Rex Israëlitarum Saulus, quando bonâ intentione holocausta Domino obtulit in Galgala, 1. Sam. XIII. 9. & postea quædam Amalekitarum spolia in usum sacrificiorum reservavit cap. XV. 9. 15. non peccasset; quod quàm falsum sit, patet ex Samuelis alloquio v. 13. cit. cap. 13. & v. 17. seqq. capitis 15.

§. VI. Eòdem, quod diximus, principiò utuntur Calviniani pro palliando impio errore suo, quò DEUM (licet verbis dissimulent) reverà tamen peccati autorem faciunt. Nam quando docent, voluntatem DEI impellere homines ad peccata, vel ea per sua instrumenta perficere: Statim addunt: nihilo minus tamen DEI voluntatem non peccare, sed valdè bonam manere; Cur? quia DEUS, inquit, bonum finem sibi propositum habeat; DEUM namq; velle homines.

mines peccare, ut habeat, quos justè damnet & quorum liberaliter misereatur, ut eâ ratione justitiæ & misericordiæ gloriam manifestet. Ita videl. *Calvinus* in instruct. adversus Libertinos cap. 14. *Rennecherus* in aurea salut. caten. *Beza* in respons. ad Sebast. Castal. in refut. 2. calumn. *Zanchius* libr. de naturâ DEI; quorum verba videat, cui volupe est, citata à *B. Grawero* nostro in *absurd. Calvinist. cap. 5. n. 24. pag. m. 221. seq.*

III.

Malitia autem moralis formaliter nihil aliud est, quàm difformitas seu dissonantia à regulâ rectitudinis.

§. I. Ita quidditative exponitur hæc malitia; Causaliter autem dici potest defectus integritatis vel in uno vel omnibus, quæ actui non absolute ex naturâ actûs, sed secundum rectam rationem convenire debebant; ac proinde malitiam moralem causantur non tantum malitia objecti, pravitas intentionis ac disconvenientia meliorum cæterarumq; circumstantiarum simul sumpta; sed & horum unius separatim spectati dissonantia à rectâ ratione; cæteris etiam se quàm optimè habentibus; quandoquidem juxtâ laudatum illud *Areopagita* veriverbium, *malum est ex quovis defectu.* Unde rectè quidem ac verè, suæ tamen suorumque doctrinæ parum conformiter, *Wendelinus* lib. 2. *Christ. Theol.* cap. 1. in explicat. thes. 5. n. 3. p. m. 1446. *Omnia mala intentio, inquit, constituit actionem malam, quia actionis malitia (NB.) ex quovis consurgit morali defectu. Omnis verò intentio bona, pergit, per se illicò non constituit actionem bonam: quia bonitas est perfectio, quæ ex (NB.)*
omnium

omnium causarum perfectione & integritate consurgit. Unde
(ita ibidem subjicit statim ille) nulla est actio tam nefaria,
quin ex intentione bona patrari queat.

I V.

Malitia moralis non in actu voluntatis
duntaxat, sed & actus omissione reperitur.

Ratio asserti in promptu; quandoquidem non
tantum contra rectam rationem est *Velle aliquid*, quod
turpe est ac prohibitum, sed etiam *non velle*, quod
honestum est ac præceptum.

V.

Malitia omissionis consistit in privativo.

Cum enim ipsa omisio non sit aliquid positi-
vum, nec malitiam habere potest (in rigore hoc
nostro) positivam.

V I.

Malitia commissionis consistit in positivo.

§. I. Puta in *positivo ordine* seu reali diffor-
mitatis vel dissonantia respectu ad regulam recti-
tudinis.

§. II. Quocirca heic facimus divortium *primò*
ab iis, qui docent, malitiam moralem seu formale
peccati commissionis consistere in ordine positivo
& reali *ad objectum dissonum recte rationi*; quandoqui-
dem conceptus malitiæ moralis proprius à vero ejus
correlativo petendus est, quod non est objectum mo-
raliter malum; habitudo namq; illa, quam malitia
in primo conceptu involvit, non terminatur for-
maliter ad objectum moraliter malum, sed ad judi-
cium rectæ rationis ceu regulam suam. Objectum

B

autem

autem moraliter malum sese habet per modum fundamenti, principii ac causæ hujus habitudinis in actu resultantis; id quod pluribus ostensum *Tract. de mor. act. pag. 135. 167. 168.*

§. III. *Secundò* ab illis etiam, qui malitiam commissionis in privatione rectitudinis debitæ consistere docent; etenim malitia moralis actûs humani essentialiter participat rationem communem *esse seu entis moralis*, cum sit ejus species. E. non potest esse privativum quid. Consequentia ratio satis est in aprico; quoniam genus positivum (quale est *esse morale* in ordine ad bonitatem & malitiam, tanquam species suas, ut contra *Melchiorum Canum & Gabr. Vazquezium l. c. pag. 53. seqq.* fusè probatum dedimus) non potest per speciem privativam contrahi, cum privatio sit remotio positivi; adeòq; malitia moralis, seu species contrahens & participans positivum esse sui generis, in privatione consistere nequit.

§. IV. Concedimus quidem malitiam peccati aliàs explicari nominibus privationem importantibus, utpote per *aversionem, recessum & defectum à DEO*; per *infirmiorem item & vacuitatem*; negamus autem inde sequi, peccatum essentialiter in privatione consistere; nominibus namq; illis privativis appellatur peccatum, non quòd ratio ejus formalis consistat in mera privatione, sed quòd in homine per illud consequatur privatio gratiæ aliorumq; donorum; ut adeò privatio non tam essentialis sit peccato, quàm consequens ad ejus essentiam.

§. V. Neq; ex hoc, quòd malitiam formaliter asserimus esse entitatem quandam positivam, inferri legitime potest, peccatum formaliter esse à DEO, cum

cūm DEUS, utpote primum ens positivum, sit vera
causa cujusq; entis per participationem; non, in-
quam, hoc exinde potest concludi; DEUS namq; est
vera quidem causa cujusq; entis realis *secundum*
rationem & modum causalitatis sibi proprium; non tamen
secundum modum causalitatis sibi repugnantem. Hinc
dicimus, DEUM concurrere ad omne ens reale *secun-*
dum rationem entis, quæ sibi est propria, quando qui-
dem ens in aliquo effectu est ratio universalissima,
adeoq; DEO, ceu causæ universalissimæ, rectè tribui-
tur; atq; ita consequenter largimur, DEUM concur-
rere ad peccatum *secundum hanc rationem entis*; non
autem *secundum rationem moralitatis*, quæ reperitur in
peccato; etenim hæc ratio moralitatis DEO repugnat,
quia moralitas consistit in subjectione ad legem, cui
DEUS nullâ ratione subicitur. Cū itaq; homo hunc
actum producat cum subjectione ad legem; ideo
etiam moralitas in peccato reperta soli homini ap-
propriatur.

ZHTHMATA.

- I. An *positivum* rectè distingvatur in *positivum Ethicum*
seu *morale & Metaphysicum* seu *transcendentale*, h. e.
positivum strictè ac rigorosè sic dictum?
- II. An omne, quod reverà datur à parte rei, sit à
DEO?
- III. An dentur aliqui actus indifferentes *secundum*
speciem suam, h. e. qui, quantum ex parte suorum
objectorum, neq; sint boni neq; mali moraliter,
sed ad utrumq; indifferentes?

Dum

Dum monstras Bonitas quid sit, scandendo cathedram,
Qualem alium monstras te, nisi, Amice, bonum?
Laudo tuum coeptum. Sic sic constringere honestum est,
Hecce placent doctis, praelia docta Viris.
Continua, quo coepta via est, nec desere cursum;
Talem pro studiis digna brabea manent.

Johannes Meisnerus D.

Ad Clarissimum,

Dn. Praesidem, Facultatis Philosophicae, quae Jenae
est, Adjunctum; & Humaniss. Dn. Re-
spondentem, Amicos meos.

ZESCHIUS est Praeses, Respondens BORSKIUS; arte
Omnigena & cerebro clarus uterq; bono.
Ambo boni semper parient bona plurima nobis,
Et cathedrae nostrae commoda magna ferent.
Plures huc nobis Jovae clementia mittat,
Moribus his similes ingenioq; bono.
Civibus his iterum tantis Academia surgit,
Ipsius atq; decus nescit in orbe mori.

Michael Wendelerus,
D. & P. P.

Ad Eximium & Praestantissimum,

DN. RESPONDENTEM, Amicum
& Contubernalem dilectum!

Indole maeste tua BORSKI! sic nomen in albo
Mox Sophies poteris scribere laude tuum;
Ingenij documenta tui si ostendere pergas,
Publicitus ponens lemmata docta Sophis.
Gratulor his captis; specimen quod plura sequantur;
Sic venient capiti laurea ferta tuo.

PRÆSES.

94 A 7380

ULB Halle
004 073 428

3




71 DA 17
Juni 1899

71







14

Ω Θ Ε Ω
A T U M

orum

rius

TTEBERGENSI,
IDE

O ZESCHIO,

a - Brem.

Jen. Adj.

DENTE

BORSKIO,

Boruffo,

δεντων *examini*

NNO M DC LXI.

mer.

RGÆ,

LIS Wendt.

